

ritas, quæ pertinet ad visum, ita deberent poni aliæ dotes pertinentes ad alios sensus.

4. Præterea. Sicut impassibilitas convenit corpori glorioso, ita & anima glorificata. Ergo non oportet poni dos corporis, cum non ponatur dos animæ.

5. Præterea. Sicut subtilitas est dos corporis, ita & pervietas, ut patet per Gregorium in Moral. Lib. XVIII. cap. xxvii. vel xxxi. super illud Job xxviii. Non adæquabitur ei aurum, vel vitrum. Ergo inter dotes corporis debet poni pervietas.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod ab omnibus communiter ponuntur tres animæ dotes, diversimode tamen. Quidam enim dicunt, quod tres animæ dotes sunt visio, dilectio, & fructio; quidam vero, quod sunt visio, comprehensio, & fructio; quidam vero, quod sunt visio, dilectio, & comprehensio. Omnes tamen hæc assignationes reducuntur in idem, & eodem modo earum numerus assignatur: dictum est enim, quod dos est aliquid animæ inhærens, per quod ordinatur ad operationem, in qua consistit beatitudo: in qua quidem operatione requiruntur, scilicet ipsa substantia operationis, quæ est visio, & perfectio ejus, quæ est delectatio: oportet enim beatitudinem esse operationem perfectam. Visio autem aliqua est delectabilis dupliciter. Uno modo ex parte objecti, in quantum id quod videtur, est delectabile; alio modo ex parte visionis, in quantum ipsum videre delectabile est, sicut delectamur in cognoscendo mala, quamvis mala nos non delectent: & quia operatio illa, in qua ultima beatitudo consistit, debet esse perfectissima, ideo requiritur quod visio illa sit utroque modo delectabilis. Ad hoc autem quod ipsa visio sit delectabilis ex parte visionis, requiritur quod sit facta connaturalis videnti per habitum aliquem. Sed ad hoc quod sit delectabilis ex parte visionis, duo requiruntur, scilicet quod ipsum visibile sit conveniens, & quod sit conjunctum. Sic ergo ad delectabilitatem visionis ex parte sui requiritur habitus qui visionem eliciat; & sic est una dos, quæ dicitur ab omnibus visio. Sed ex parte visibilis requiruntur duo, scilicet convenientia quæ est per affectum; & quantum ad hoc ponitur dos à quibusdam dilectio, & à quibusdam fructio, secundum quod fructio ad affectum pertinet; illud enim quod summe diligimus, convenientissimum æstimamus. Requiritur etiam ex parte visibilis conjunctio; & sic ponitur à quibusdam comprehensio, quæ nihil est aliud quam in præsentia Deum habere, & in seipso tenere; sed secundum alios fructio, prout fructio, est non spei sicut est in via, sed jam rei sicut est in patria: & sic dotes tres respondent tribus virtutibus theologis, scilicet visio fidei, spei vero comprehensio, vel fructio secundum unam acceptionem, charitati vero dilectio, vel fructio secundum aliam assignationem: fructio enim perfecta, qualis in patria habebitur, includit in se dilectionem, & comprehensionem: & ideo à quibusdam accipitur pro uno, à quibusdam vero pro alio. Quidam vero attribuunt has tres dotes tribus animæ viribus, visionem scilicet rationali, dilectionem concupiscibili, fructioem vero irascibili, in quantum talis fructio est per quamdam victoriam adepta. Sed hoc non proprie dicitur: quia irascibilis, & concupiscibilis non sunt in parte intellectiva, sed sensitiva, ut in III. Lib. distinct. xxvi. quæst. 1. art. 2. in corp. dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod memoria, &

intelligentia non habent nisi unam operationem: quia vel ipsa intelligentia est operatio memoriæ, vel si intelligentia dicatur esse potentia quedam, memoria non exit in operationem nisi mediante intelligentia, quia memoriæ est notitiam tenere; unde etiam memoriæ, & intelligentiæ non respondet nisi unus habitus, scilicet notitia; & ideo utriusque respondet una tantum dos, scilicet visio.

Ad secundum dicendum, quod fructio respondet spei, in quantum includit comprehensionem, quæ spei succedet: quod enim speratur, nondum habetur; & ideo spes quodammodo affligit propter distantiam amari; propter hoc in patria non remanet, sed succedit ei comprehensio.

Ad tertium dicendum, quod fructio, secundum quod comprehensionem includit, distinguitur à visione, & dilectione, alio tamen modo quam dilectio à visione: dilectio enim, & visio diversos habitus nominant, quorum unus pertinet ad intellectum, alter vero ad affectum; sed comprehensio, vel fructio secundum quod ponitur pro comprehensione, non importat alium habitum ab illis duobus, sed importat remotionem, ex quibus efficiebatur ut non posset mens Deo præsentialiter conjungi: & hoc quidem fit per hoc quod ipse habitus gloriæ animam ab omni defectu liberat, sicut quod facit eam sufficientem ad cognoscendum sine phantasmatis, & ad prædominandum corpori, & alia hujusmodi, per quæ excluduntur impedimenta, quibus fit ut nunc peregrinemur à Domino.

Ad quartum patet responsio ex dictis.

Ad quintum dicendum, quod proprie dotes sunt immediata principia illius operationis in qua perfecta beatitudo consistit, per quam anima Christo conjungitur: illa autem quæ Anselmus enumerat, non sunt hujusmodi, sed sunt qualitercumque beatitudinem concomitantia, vel consequentia, non solum in comparatione ad sponsum, ad quem sola sapientia inter enumerata ab eo pertinet, sed etiam in comparatione ad alios vel pares, ad quos pertinet amicitia quantum ad unionem affectuum, & concordia quantum ad consensum in agendis; vel ad inferiores ad quos pertinet & potestas, secundum quod à superioribus inferiora disponuntur, & honor secundum id quod ab inferioribus superioribus exhibetur: & etiam per comparationem ad seipsum, ad quod pertinet securitas quantum ad remotionem mali, & gaudium quantum ad adeptionem boni.

Ad sextum dicendum, quod laus quæ ab Augustino ponitur tertium eorum quæ in patria erunt, non est dispositio ad beatitudinem, sed magis beatitudinem consequens: ex hoc enim ipso quod anima Deo conjungitur in qua beatitudo consistit, sequitur quod in laudem prorumpat, unde laus non habet rationem dotis.

Ad septimum dicendum, quod illa quinque quæ enumerat Boetius, sunt quedam beatitudinis conditiones, non autem dispositiones ad beatitudinis actum, eo quod beatitudo ratione perfectionis suæ sola & singulariter habet per seipsam quicquid ab hominibus in diversis rebus queritur, ut patet etiam per Philosophum in I. & X. Ethic. & secundum hoc Boetius ostendit illa quinque in vera beatitudine esse: quia hæc sunt quæ ab hominibus in temporali felicitate queruntur, quæ vel pertinent ad immunitatem à malo, sicut securitas, vel ad consecutionem boni, vel convenientis, sicut jucunditas, vel perfecti, sicut sufficientia, vel ad manifestationem boni, sicut celebritas, in quantum bonum unius est in notitia mul-

actorum, & reverentia, in quantum illius notitiæ, vel boni signum aliquod exhibetur; reverentia enim consistit in exhibitione honoris, qui est testimonium virtutis. Unde patet quod ista quinque non debent dici dotes, sed quedam beatitudinis conditiones.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod secundum hoc homo est beatitudinis particeps: quod ad imaginem Dei consistit. Imago autem Dei primo & principaliter in mente consistit; sed per quandam derivationem etiam in corpore hominis quedam representatio imaginis invenitur, secundum quod oportet corpus animæ esse proportionatum, ut etiam patet ex his quæ Magister dicit in II. Sent. dist. xviii. unde etiam beatitudo, vel gloria primo & principaliter est in mente, sed per quandam redundantiam derivatur etiam ad corpus; ut beatitudo hominis secundum quod dicitur, quod imperium animæ Deo conjunctæ perfecte exequitur: Unde sicut dispositiones quæ sunt in anima beatæ ad perfectam operationem, quæ Deo conjungitur, dicuntur animæ dotes; ita dispositiones quæ sunt in corpore glorioso, ex quibus corpus efficitur perfecte animæ subjectum, dicuntur corporis dotes.

Ad primum ergo dicendum, quod etiam perfectio corporis gloriosi aliquo modo coadjuvat ad hoc quod animal liberius, & perfectius Deo inhereat, in quantum videlicet non retrahitur aliquibus corporeis impedimentis à divina inhesionem, & in quantum etiam anima perfectius esse habet corpori conjunctam quam à corpore separata; & sic etiam ejus operatio est perfectior, ut supra dictum est.

Ad secundum patet responsio ex dictis. Ad tertium dicendum, quod, sicut dicit Augustinus in Lib. de Trinit. XII. cap. i. ad exteriorem hominem non solum pertinet corpus, sed etiam corporis sensus: unde omnes inferiores potentie quæ sunt organis affixæ, simul cum corpore computantur, & cum eo etiam simul dotantur.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod anima est forma corporis, & motor: unde cum dotes corporis ad hoc ordinantur ut corpus perfecte animæ subjiciatur, hoc erit ut subjiciatur ei perfecte & sicut formæ, & sicut motori. A forma autem in materia tria causantur, scilicet esse substantiale, vires, & formæ secundariæ, scilicet accidentales, & amborum conservatio. Corpus ergo gloriosum, in quantum perfecte animæ subditur quantum ad esse substantiale quod ab ea habet, sic est dos subtilitatis: ex hoc enim corpus gloriosum subtile dicitur, ut supra distinct. xliv. dictum est, quod perfecte ab anima informatur. In quantum vero perfecte subditur ei ut formæ secundum accidentales formas quæ sunt in corpore ab anima, sic est dos claritatis. In quantum vero corpus gloriosum perfecte ab anima conservatur, sic est dos impassibilitatis: ex hoc enim impassibile dicitur quod ex vi animæ servatur immune ab omni læsione. Sed in quantum corpus perfecte subditur animæ ut motori, sic est dos agilitatis: corpus enim secundum hoc dicitur agile quod ad omnes animæ actus est expeditum, & paratum. Quidam autem quatuor dotes corporis quatuor virtutibus cardinalibus adaptant, eo quod cardinalium virtutum materia sunt bona corporalia; ut scilicet prudentiæ

In IV. Sent. Tom. V.

respondeat claritas propter cognitionem; justitiæ, quæ est perpetua, & immortalis; impassibilitatis: fortitudinis; agilitatis, ex qua contingit ut nihil corpori possit resistere; unde, agilitas notatur. I. Corinth. xv. 43. per hoc quod dicitur: Sanguis virtutis: terra perantia: vero, quæ corpus aereus, & subtilitatis; & sic quatuor dotes corporis respondent quatuor virtutibus cardinalibus, sicut tres animæ tribus theologis: ut dictum est in III. Sent. dist. lxxviii. Ad primum ergo dicendum, quod illa septem quæ Anselmus ponit, continentur subtiliter quatuor: Pulchritudo enim continetur sub claritate; velocitas, & libertas, & fortitudo sub agilitate; sanitas, & corditas sub impassibilitate; voluptas vero potest reduci ad subtilitatem, quia ex hoc quod corpus esse perfecte informatum per animam, esse ad delectationem dispositum.

Ad secundum dicendum, quod agilitas non solum pertinet ad motum, sed etiam ad sensum, & ad omnes alias operationes animæ; ut secundum hoc dicatur corpus gloriosum esse agile, quod est perfecte habitatum ad omnes operationes quæ per corpus exercentur.

Ad tertium dicendum, quod secundum Philosophum in II. de generatione, text. xviii. qualitates visibiles sunt aliis qualitatibus sensibilibus nobiliores quantum ad hoc quod in visibilitate conveniunt inferiora corpora cum superioribus corporibus, non autem quantum ad alias sensibiles qualitates: unde lux, vel claritas, quæ est claritas propria celestium corporum, inter alias qualitates corporales est nobilior, & magis similis ad exprimendam intelligibilem claritatem; & ideo ex redundantia gloriæ ab anima in corpus magis ponitur in corpore glorioso claritas ut dos, quam alia sensibilis qualitas.

Ad quartum dicendum, quod anima non est passibilis secundum naturam, sed per accidens, in quantum corpus patitur: vel per divinam justitiam est passibilis ex culpa, quæ ab animabus beatorum est procul propter Dei dilectionem: unde ex quo impassibilitas ponitur corporis dos, non oportet quod ponatur dos animæ.

Ad quintum dicendum, quod clarum, & pervium ad idem genus reducuntur, eo quod lux est actus diaphani: & ideo pervietas non ponitur dos distincta à claritate.

De prædictis autem dotibus tam animæ, quam corporis, in speciali dictum est, de fructioem quidem in I. dist. I. Lib. de dilectione, in III. Lib. tractatu de charitate, de visione supra hac eadem distinct. de quatuor dotibus corporis supra dist. xliv.

QUÆSTIO V.

Deinde queritur de aureolis: & circa hoc queruntur quinque. Primo. Quid sit aureola. Secundo. Quomodo differat à fructu. Tertio. Ratione quorum debeatur aureola. Quarto. Quibus debeatur.

ARTICULUS I.

Utrum aureola sit aliquid aliud præmium ab essentiali præmio, quod aurea dicitur.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod aureola non sit aliquid aliud præmium ab essen-

Aaa

essen-

essentiali premio; quod aurea dicitur. Præmiu enim essentiali est ipsa beatitudo. Sed beatitudo secundum Boetium III. Lib. de consol. pros. ubi est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo præmiu essentiali includit omne bonum quod habetur in patria. & sic aureola includitur in ea reactivè.

2. Præterea. Magis & minus, non diversificant speciem. Sed illi qui servant consilia & præcepta magis præmiati sunt quam illi qui servant præcepta tantum; nec in aliquo præmiu eorum videtur differre, nisi quod unum est altero majus. Cum ergo aureola nominet præmiu quod debetur operibus perfectionis, videtur quod aureola non dicat aliquid distinctum ab aurea. & sic præmiu aureolæ non est aliud quod præmiu ab aurea distinctum est. & sic præmiu aureolæ non est aliud quod præmiu ab aurea distinctum est.

3. Præterea. Præmiu respondet merito. Sed ratio totius meriti est charitas. Cum ergo charitati respondeatur aurea, videtur quod in patria non est aliud quod præmiu ab aurea distinctum est. & sic præmiu aureolæ non est aliud quod præmiu ab aurea distinctum est.

4. Præterea. Homines beati assumuntur ad Angelorum ordines; & sic dicit Gregorius, homil. xxxv. in Evang. Sed non Angelis licet quædam data sint quibusdam excellenter, ibi tamen nihil possident singularem, omnia enim in omnibus sunt; non quidem æqualiter, quia alii aliis sublimius possident, quæ tamen omnes habent, ut etiam Gregorius dicit. Ergo & in beatis non erit aliquid aliud præmiu nisi omnium commune: ergo aureola non est præmiu distinctum ab aurea.

5. Præterea. Excellentiori merito excellentius præmiu debetur. Si ergo aurea debetur operibus quæ sunt in præcepto, aureola vero his quæ sunt in consilio, aureola erit perfectior quam aurea; & ita non deberet diminutive signari: & sic videtur quod aureola non sit præmiu distinctum ab aurea.

Sed contra. Exod. xxxv. super illud, *Faciet alteram coronam aureolam*, dicit Glossa. Ad coronam (1) hæc pertinet canticum novum, quod virgines tantum coram agno. concinunt. Ex quo videtur quod aureola sit quædam corona non omnibus, sed aliquibus specialiter reddita. Aurea autem omnibus beatis redditur. Ergo aureola est aliud quam aurea.

Præterea. Pugna quam sequitur victoria, debetur corona. II. ad Thimoth. 1. 5. *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. Ergo ubi est specialis ratio certaminis, ibi debet esse specialis corona. Sed in aliquibus operibus est specialis ratio certandi. Ergo præ aliis aliquam coronam habere debent, & hæc dicimus aureolam.

Præterea. Ecclesia militans descendit à triumphante, ut patet Apoc. xxi. 2. *Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de celo à Deo*. Sed in Ecclesia militante specialia opera habentibus specialia præmia redduntur, sicut victoribus corona, currentibus braviu. Ergo similiter debet esse in Ecclesia triumphante.

SOLUTIO.
Respondeo dicendum, quod præmiu essentiali hominis, quod est ejus beatitudo, consistit in perfecta conjunctione animæ ad Deum, in quantum eo perfecte fruitur, ut viso, & amato perfecte. Hoc autem præmiu metaphorice corona dicitur, vel aurea: tum ex parte meriti, quod cum quadam pugna agitur, militia enim est vita hominis super terram;

Jobi. aut tamen ut patet ex parte præmiu, per quod homo efficitur quodammodo Divinitatis participans, & per consequens regni potestatis. Apoc. vi. 10. *Facite illis (Deo nostro) regnum quod est sacerdotu Corona*. autem res propria signum regni dignitatis, & eadem ratione præmiu quod essentiali additur, coronæ rationem habet. Sic dicitur etiam Corona perfectionem quamdam ratione figuræ circularis, ut ex hoc etiam conperitur perfectionem præmiu. Sed quia nihil potest superaddi quin sit eo minus, ideo superadditur præmiu aureolæ non minus. Hic autem essentiali præmiu quod aurea dicitur, aliquid additur dupliciter. Uno modo ex conditione naturæ ejus quæ præmiatur, sicut supra beatitudinem ante magnæ gloria corporis adiungitur, unde scripta gloria corporis interdum aureola nominatur, unde & super illud Exod. xxxv. *Faciet alteram coronam aureolam* dicitur quædam Glossa. Beatus Lib. de deo. cap. viii. quod in fine aureola superponitur, cum in Scriptura dicitur quod eis sublimior gloria in receptione corporu servetur. Sic autem funde aureola non agitur. Alio modo ex ratione operis meritorii: quod quidem ratione meriti ex duobus habet, ex quibus habet etiam bonitatis rationem: scilicet ex radice charitatis, quæ refertur in finem ipsius; & sic debetur ei essentiali præmiu, scilicet licet perventio ad finem, quæ est aurea; & ex ipso genere actus laudabilitatem quamdam habet ex debitis circumstantiis, & ex habitu elicite, & proximo fine; & sic debetur ei quodammodo præmiu, quod aureola dicitur: & hoc modo de aureola ad præsens intendimus. Et sic dicendum, quod aureola dicit aliquid aureæ superadditum, id est quodam gaudium de operibus à se factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis, quod est aliud gaudium ab eo quo de conjunctione ad Deum gaudetur, quod gaudium dicitur aurea. Quidam tamen dicunt, quod ipsam præmiu commune, quod est aurea, accipit nomen aureolæ secundum quod virginibus, vel Martyribus, vel Doctoribus redditur, sicut & denarius accipit nomen debiti ex hoc quod alienus debetur, quamvis omnino idem sint debitum, & denarius; non tamen ita quod præmiu essentiali oportet esse majus quando aureola dicitur, sed quia excellentiori actui respondet, non quidem secundum meriti intensionem, sed secundum modum merendi; ut quamvis in duobus sit æqualis limpiditas divinæ visionis, in uno tamen dicatur aureola, non in altero; in quantum respondet excellentiori merito secundum modum agendi. Sed hoc videtur esse contra intentionem Glossæ. Exod. xxx. Si enim idem esset aurea, & aureola, non diceretur aureola aureæ superponi. Et præterea, cum merito respondeat præmiu, oportet quod illi excellentiori merito quæ est ex modo agendi, respondeat aliqua excellentia in præmio: & hæc excellentiam vocamus aureolam: unde oportet aureolam ab aurea differre.

Ad primum ergo dicendum, quod beatitudo includit in se omnia bona quæ sunt necessaria ad perfectam hominis vitam, quæ consistit in perfecta hominis operatione; sed quædam possunt superaddi non quasi necessaria ad perfectam operationem, ut sine quibus esse non possit, sed quia his additis est beatitudo clarior; unde pertinet ad bene esse beatitudinis, & ad decentiam quamdam ipsius, sicut & felicitas politica ornatur nobilitate, & corporis pulchritudine, & hujusmodi, sine quibus tamen esse

potest, ut patet in I. Ethicor. cap. viii. ix. xii. & xiiii. & hoc modo se habet aureola ad beatitudinem patriæ.

Ad secundum dicendum, quod ille qui servat consilia, & præcepta, semper magis meretur quam ille qui servat præcepta tantum, secundum quod ratio meriti consideratur in operibus ex ipso genere operum; non autem semper secundum quod ratio meriti pensatur ex radice charitatis; cum quandoque ex majori charitate aliquis servet præcepta tantum quam aliquis præcepta, & consilia. Sed ut pluries accidit è converso: quia probatio dilectionis est exhibitio operis, sicut dicit Gregorius, homil. xxx. in Evang. Non ergo ipsum præmiu essentiali magis intensum dicitur aureola, sed id quod præmiu essentiali superadditur indifferenter, sive sit majus præmiu essentiali habentis aureolam, sive minus, sive æquale præmiu essentiali non habentis.

Ad tertium dicendum, quod charitas est principium merendi; sed actus noster est quasi instrumentum quo meremur. Ad effectum autem consequendum non solum requiritur debita dispositio (1) in primo movente, sed etiam recta dispositio in instrumento: & ideo in effectu aliquid consequitur ex parte primi principii, quod est principale, & aliquid ex parte instrumenti, quod est secundarium: unde & in præmio aliquid est ex parte charitatis, scilicet aurea, & aliquid ex genere operationis, ut aureola.

Ad quartum dicendum, quod Angeli omnes ex eodem genere actus suam beatitudinem meruerunt, scilicet in hoc quod sunt conversi ad Deum: & ideo nullum singulare præmiu invenitur in uno quod aliis non habeat aliquo modo. Homines autem diversis generibus actuum beatitudinem merentur, & ideo non est simile. Tamen illud quod unus videtur specialiter habere inter homines, quodammodo omnes communiter habent, in quantum scilicet per charitatem perfectam unusquisque bonum alterius suum reputat. Non tamen hoc gaudium quo unus alteri congaudet, potest aureola nominari: quia non datur in præmio victoriæ ejus, sed magis respicit victoriam alienam: corona vero ipsis victoribus redditur, non victoriæ congaudentibus.

Ad quintum dicendum, quod major est excellentia meriti, quæ consurgit ex charitate, quam illa quæ consurgit ex genere actus, sicut finis ad quem ordinat charitas, est potior his quæ sunt ad finem, circa quæ actus nostri consistunt. Unde etiam præmiu respondens merito ratione charitatis, quantumcumque sit parvum, est majus quolibet præmio respondente actui ratione sui generis: & ideo aureola diminutive dicitur respectu aureæ.

ARTICULUS II.

Utrum aureola differat à fructu.

1. Ad secundum sic proceditur. Videtur quod aureola non differat à fructu. Eidem enim merito non debentur diversa præmia. Sed eidem merito responderet aureola, & fructus centessimus, scilicet virginitati, ut patet in Glossa veteri, Matth. xiiii. Ergo aureola est idem quod fructus.

2. Præterea. Augustinus dicit in Lib. de virginitate, cap. xxv. quod centissimus fructus debetur martyri, & idem debetur virgini. Ergo fructus est idem quod aureola.

In IV. Sent. Tom. V. (1) Al. in præmio.

quoddam præmiu commune virginibus, & martyribus. Sed eidem etiam debetur aureola. Ergo aureola est idem quod fructus.

3. Præterea. In beatitudine non invenitur nisi duplex præmiu, scilicet essentiali, & accidentali, quod essentiali superadditur. Sed præmiu essentiali superadditum dicitur esse aureolam; quod patet ex hoc quod Exod. xxv. aureola coronæ aureæ superponi dicitur. Sed fructus non est præmiu essentiali, quia sic deberetur omnibus beatis. Ergo est idem quod aureola.

Sed contra. Quæcumque non sunt ejusdem divisionis, non sunt etiam ejusdem rationis. Sed fructus, & aureola non similiter dividuntur: quia aureola dividitur in aureolam Virginum, Martyrum, & Doctorum; fructus autem in fructum conjugatorum, Viduarum, & Virginum. Ergo fructus, & aureola non sunt idem.

Præterea. Si fructus, & aureola essent idem, cuiusque deberetur fructus, deberetur aureola. Hoc autem patet esse falsum: viduitati enim debetur fructus, sed non aureola. Ergo &c.

QUÆSTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod fructus non debeatur soli virtuti continentie. Quia I. Corinth. xv. super illud, *Alia claritas solis etc.* dicit Glossa, ex Augustino, quod claritati solis illorum dignitas comparatur qui centesimum fructum habent, lunari autem qui sexagesimum, stellæ qui trigesimum. Sed illa diversitas claritatum secundum intentionem Apostoli pertinet ad quamcumque beatitudinis differentiam. Ergo diversi fructus non debent respondere soli continentie.

2. Præterea. Fructus à fruitione dicuntur. Sed fruitio ad præmiu essentiali pertinet, quod omnibus virtutibus responderet. Ergo &c.

3. Præterea. Fructus labori debetur: Sapientie III. 15. *Bonorum laborum gloriosus est fructus*. Sed major labor est in fortitudine quam in temperantia, vel in continentia. Ergo fructus non responderet soli continentie.

4. Præterea. Difficilius est modum non excedere in cibis qui sunt necessarii ad vitam, quam in venereis, sine quibus vita conservari potest; & sic major est labor parsimonie quam continentie. Ergo parsimonie magis responderet fructus quam continentie.

5. Præterea. Fructus refectionem importat. Relectio autem præcipue est in fine. Cum ergo virtutes theologice finem habeant pro objecto, scilicet ipsum Deum, videtur quod eis fructus maxime debeant respondere.

Sed contra est quod habetur in Glossa veteri, Matth. xiiii. quæ fructus assignat virginitati, viduitati, & continentie conjugali; quæ sunt continentie partes.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod inconvenienter assignentur tres fructus tribus continentie partibus. Quia Galat. v. ponuntur duodecim fructus Spiritus, scilicet gaudium, pax &c. & ideo videtur quod non debeant poni tres tantum.

2. Præterea. Fructus nominat aliquid præmiu speciale. Sed præmiu quod assignatur Virginibus,

Aaa 2 pra-